



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ivliana Virg. 19. Iunii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. IULIANA VIRG. 19. Iunii.

Nimirum etiam hæc rosa Florentiæ
 debebatur, ubi Ordo Servorum
 VIRGINIS floret. O aulæ mancipia,
 quid ad hæc VIRGINIS servitia vos?
 eja discite saltem honestam servitutum
 servire, neque Virginem erubescite Ma-
 gistrum in eâ arte habere, qui Palladem
 MARIAM salutatis. Fuit IULIANA
 è nobili familiâ (Falconeriam dixerunt)
 sed in servitium MARIÆ à teneris ab-
 ducta. Hebdomas illi sic agebatur, ut
 feriâ IV. itemque VI. ob Christi pa-
 tientis memoriam nihil omnino cibi;
 sabbatho panem tantum, & fontanam
 admitteret. Interea tamen animum
 cælesti pane pascebat, pincernis oculis
 meras lacrimas affudentibus; Christi
 tormenta quam altè animo infixam ge-
 starit, mors probavit, quæ in adverso
 pectore manifestam Servatoris à cruce
 pendentis imaginem ostendit, utique
 illi similem, quam vidisset, si cor inspe-
 xisset. Cæterum multis jejuniis exhausta
 stomachi dolores contraxit ingen-
 tes, & ultimam ciborum nauseam. Et
 verò terrena, ut quæ nunquam illi sa-
 piebant, facile neglexit; at divinum ci-
 bum cum sic agra non posset accipere,
 fame scilicet credebatur ante mortem
 moritura. Voluit tamen in conspectum
 offerri Angelorum ferculum, saltem ut
 ocu-

oculos famelica pasceret. Nec contenta
jussit pectori applicari. Tum denique
inter risum blandum expiravit, & ut
scires saturam abiisse à mensâ sacrâ,
nihil ex epulo sacro reliquum esse vi-
sum est. *Ex Ferrar.*

S. MICHELINA. 19. Junii

Laborabat MICHELINA Pisaren-
sis eodem, quo matres pleræque,
morbo, impotenti erga unicam prolem
affectu: ei medicinam facere Syriana
piissima fœmina cum vellet, totumque
contubernalis amorem Creatori affige-
re, diu frustra fuit: donec inter preces
MICHELINA immutata, animo ausa
est cum Deo pacisci, si filii curam in se
recepisset, nihil in humanis sibi tanti
fore, quo vel ad momentum temporis
ab ejus servitio avocaretur. Acceptavit
conditionem Christus, eique de cruce
pollicitus est, obicem pietatis illius se-
se amoturum. Regressa domum filium
exanimem reperit; cum quo simul ac
supervacuas curas tumulavit, opes quo-
que, & cætera malorum irritamenta si-
ne gemitu abdicavit, omnia vicissim
sancti amoris insignia assumpsit: vestē
setis horridam cinctu ferreo corpori
astrinxit; flagro ferreo concisum cor-
pus nuda humus excepit: pulvilli vicem
truncus fuit: stipe ferè vixit, aut merce-
dulis sui laboris. Quò quisque à morbis
Y 4 de-